

Ierni ruborem referentis species quædam ardentior. Fabulosum omnino esse suspicio est, quod plerisque Gemmarum perscrutatoribus videtur, Lyncurium ex Lyncis animalibus urinam harenam mox à deiectione contactam, Solis deinde ardore concretam ac duratam, consistere.

*De fictitiarum à veris Gemmis differentiâ,
& dignoscendi ratione. Cap. XXVII.
& ultimum.*

NON mediocrem fidei ac maiestatis partem Gemmis ademit de republica pessimè meritorum hominum pertinax auaritia & luxus. Quandoquidem inde factum est, ut tam subtili dolo ferè omnis generis Gemmæ adulterentur, ut à fictis veras dignoscere vix sit aliquis modus. Sunt quippe qui ex veris, at vilioribus, alterius generis lapillos ementiuntur: uti iam usus percrebuit multo contumacique

† x